

LIBER

mores graues & pestilentes in his locis emittūt. Itē in Apulia oppidum Salapia uetus, quod Diomedes ab troia rediens constituit, siue (quemadmodum nō nulli scripserunt) Elphas rhodius, in eiusmodi locis fuerat collocatum, ex quo incolæ quotannis & grotando laborantes, aliquando peruenerunt ad. M. Hostilium, ab eoq; publicæ petentes, impetrauerūt uti his idoneum locum ad moenia transferenda conquireret eligeretq;. Tunc is moratus non est, sed statim rationibus doctissime quesitis, secundum mare mercatus est possessionem loci salubri, ab senatūq; populoq; romano petiit, ut liceret transferre oppidum, constituitq; moenia. & areas diuisit in unmoq; sextertio singulis municipibus mancipio dedit. His confectis lacū aperuit in mare, & portum è lacu, municipio perfecit. Itaq; nunc salapini quattuor milibus passibus progressi ab oppido uetere, habitant in salubri loco.

De fundamentis murorum & turrium. Caput. V.

Umergo his rationibus erit salubritatis in moenium collocandorum explicatio, regionesq; electæ fuerint fructibus ad alendam ciuitatem copiosæ, & uiarum munitiones, aut oportunitates fluminum, seu per portus marinæ subuectiones habuerint ad moenia comportationes expeditas, tunc turrium murorumq; fundamenta sic sunt faciēda, uti fodiantur (si queant inueniri) ad solidum, & in solido (quantum ex amplitudine operis pro ratione uideatur) crassitudine ampliore q̄ parietum quī supra terram sunt futuri, & ea impleantur quam solidissima structura. Item turres sunt proiciendæ in